

05

A

536



D
T

A
S
S



I. N. J.
PROGRAMMA INVITATORIUM,
AD
PROMOTIONEM DOCTORALEM,
D. XX. APRILIS, ANNO CHRISTI
M DC LXXV.

CELEBRANDAM.

DECANI FACULTATIS
THEOLOGICÆ, IN ELECTO-
RALI SAXONICA, QUÆ WITTE-
BERGÆ EST, UNIVERSITATE,
ABRAHAM CALOVII
SS. THEOL. D. P. P. PRIMARII, PA-
STORIS, CONSISTORII ADSESSORIS, ET CIRCU-
LI ELECTORALIS SUPERINTENDENTIS
GENERALIS.

WITTEBERGÆ
Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.

(1675)



05 A 536



LECTURIS SAL: PL.



MISERICORDIAS DOMINI IN ÆTERNUM CANTABO: IN GENERATIONEM, ET GENERATIONEM ANNUNCIABO VERITATEM TUAM ORE MEO. Ita concinit hęc DOMINICA, quæ inde nomen gerit, MISERICORDIAS DOMINI, ab antiquis temporibus, sancta Ecclesia. Deprompta autem hęc sunt è Ps. XXCIX, מִשְׁכִּיל *intellectus*, secundum vulgatam συνήσεως, juxta LXX. Interpp. *Ode Didascalica*, Junio Tremellio, *erudiens* (sc: carmen) Vatablo, Ariæ Montano, Muys, Tirino, Ansvortho, *Eruditio*, Piscatori, *informatio & prudentia*, aliis dicitur. Arbor cognitionis boni & mali, seductore Satana, delectabilis Evæ visa fuit לְהַשְׁכִּיל τῆς κατανοήσεως, *ad prudenter faciendum*. Verum proh dolor, loco prudentiæ invec̄ta ita summa inscitia, ac stultitia universi humani generis. Dominus è cœlis prospexit super filios hominum, ut videret, an sit ἡσְכִיל *intelligens*, quærens DEUM; sed nemo inventus est, ut de universali hominum post lapsum miseriâ Hieropsaltes qveritur Ps. XIV. 2. Sed ecce, *prudenter rem geret Servus meus*, συνήσει, inquit Dominus Es: LII. 13. Ubi Consilarii Magni, Sapientiæ Hypostaticæ consilium exponitur, de ὁμολογούμενος *Magno pietatis mysterio*, quomodo ipse æternus DEI Filius *instar Surculi è terra aridâ proditurus*, ceu *Servus ille justus, peccata nostra portaturus*, suâq; tum activâ, tum passivâ obedientiâ, ac *justitiâ, verâ fide apprehensâ, multos justificaturus* sit, c.

fit. c. LIII. v. II. Unde beatus prædicatur, *חַיִּי שֵׁשׁ*, qui prudenter
considerat illum verè pauperem, qui pro nobis pauper factus est,
Ps: XLI. 2. Zach: IX. 9. 2. Cor. IX. 9 ac monentur omnes etiam sum-
mæ potestates ac Reges in terris, ut hanc prudentiam non negli-
gant, sed verâ fide osculentur filium, ac fiduciam suam unicè in il-
lum collocent, si beati esse, nec ferreo ejus sceptro contundi ve-
lint Ps. II. 7. 9. 12.

Autor hujus informationis designatur *Ethan Ezraitæ*:
quem perperam Abrahamum Hieronymus (in quæstion. in III.
Reg. T. III. p. 250. *Ethan interpretatur Durissimus Esdraitæ orienta-
lis Ethan, ipse est Abraham Orientalis*) filium Abrahami R. Salom. (in
h. l. filij Abrahami, inquit, qui venit ex oriente, ut Es. XLI. 2.) nepo-
tem Judæ ex Zerach, de quo I. Chron: II. 6. R. David Kimchi, Gene-
brardus, & Drusius, sapientem aliquem Ægyptium Sedar Olam con-
stituunt: nec chronologia admittit filium Sima *ομῶνυμῶν*, de quo
I. Par: VI. 42. intelligi: Posteriores Salomone ipsum faciunt non-
nulli, eumq; vidisse distractionem Regni sub Roboamo, quæ hic
innuatur, ajunt. Grotius Ethanem tempore *μετοινεσίας* vixisse
putat, *Philonem* sequutus l. II. *Epit: Hist:* ad tempora *Jechontæ* in
carcerem conjecti, eum referentem. *Josephus* l. IIX. *Apoc. c. 2. σὺ γ-
χρονῶν* quendam Salomonis dicit, cui consonare videtur, quod
Ethan filius Kusi, è tribu *Levi* I. Par: VII. 44. inter Principes Can-
torum, in domo Domini referatur, & I. Par: XVI. 17. 19. *Ethan fi-
lius Kusaja*, ut & *Heman*, & *Assaph*, Cantores in cymbalis æneis
dicantur: quos Ethanis socios prophetasse in *cytharis*, *psalteriis*,
& *cymbalis* legitur I. Par: XXVI. 1. Unde colligitur, quod etiam
Ethan prophetavit in cymbalis: prophetico certè Spiritu Oden
hanc didascalicam protulit, quæ ex inspiratione divinâ profecta,
informandæ Ecclesiæ tradita, adeoq; divina autoritate libro *Psal-
morum* inserta. Et confertur *Ethan Ezraitæ*, quantum ad sapien-
tiam, ipsi *Salomoni*, cum *Hemane* I. Reg: IV. 31. quamvis *Salomoni*
ἐξοχή relinquatur. Nam ibi *filios Zerach* designari nepotes *Judæ*,
de quibus I. Par. II. 50. quod Grotius vult, temerè textum *Chro-
nicum* corruptionis arguens, repugnat ipsi literæ, siquidem *filii-
orum Machol* ibi mentio fiat, non *Zerach*; & frustra fingitur,
Machol

Machol esse *fœmina erudita nomen*, quæ Zaræ conjux, sed quo, præter Grotium, autore? fuerit: quum non soleant fœminæ, omissis maritis, in genealogiâ recenseri. Quid verò obstat, quominus dicatur, nomina illa *Ethan & Heman*, diversis fuisse imposita, tum antiquioribus illis è stirpe Judâ, tum Levitis sequutorum temporum? Conjectura Cocceji, quod *ex antiquis Ethanis Prophetis in piorum notitiâ, hæc conservata fuerint*, calculum non meretur, siquidem in hoc Psalmo, ne de alijs contentis dicam, explicatio habeatur promissionis Davidi de Messia factæ primariæ, quæ certè ad *Juda ex Zerâ nepotem* referri non potest: ideò aliam conjecturam adfert Coccejus, nimirum quod sapientiâ pares fuerint Judæ nepotibus, eorundè nominû, q. d. *Heman & Ethan, Zerabit & redivi*, sed sine exemplo Scripturæ, imò contra notoriam consuetudinem, quia nomina propria imponi solebant in circumcissione, etsi boni ominis, causa id quandoq; factum, non diffiteamur.

Constituit autem sapientissimus Ethan *Misericordias Domini IN ÆTERNUM cantare, & in generationem, & generationem annuntiare veritatem Ejus*, non quod in generationem & generationem se victurum crederet, sed quod hanc informationem, in Ecclesia, de generatione in generationem propagandam, spiritu prævideret, imò hîc *θεομαρτυρία* ordinaret. Quæ ejus ordinatio etiamnum viget in Ecclesia Christiana, hæc imprimis DOMINICA, vel (quod ob verbum *בְּפִי* ORE MEO magis probandum videtur, quod non suo solû nomine, sed totius populi, vel Israël, loquatur Propheta, quod pronomina pluralia v. 18-19. *Cornu NOSTRUM, Clypeus NOSTER, & Rex NOSTER*, testantur. Nec verò tantum, quoad erunt generationes, sed IN ÆTERNUM cantat Israel DEI Misericordiam: *Notificatio quidem veritatis*, quæ fit ore fidelium, de *generatione in generationem* in Ecclesia militante fit: at *celebratio gratiarum Domini* non ad hanc vitam tantum, sed vel maximè ad alteram, ubi *totum negotium nostrum*, Augustino in Enarrat: Ps. XXCIII. dicente, *sine defectu Hallelujah erit*, pertinet.

Quænam verò illæ *יְהוָה יְסֻדֵּי* Misericordia Domini sunt, quas cantari vult Ethan, omnisq; Israel DEI? Sine dubio illæ sunt,

sunt, quæ in Ecclesiâ Israëliticâ cantatæ, & cantantur semper in Ecclesiâ Christianâ, & cantabuntur in æternum in Ecclesia triumphante. De Ecclesiâ Israëliticâ, vel illi Psalmi testari possunt, qui eodem titulo יהושע insigniti sunt, quibus à Davide ipso, *Viro confirmato de Messia DEI Jacob, & spavi cantilenis Israelis* (uti vocatur II. Sam:XXII.1.) Ps: LIII.7. gratia redemptrix: Ps:XXXII.11. gratia justificatrix, & sanctificatrix: Ps.II. 10. Ps:LIV.8. Ps. LV. 19. Ps.CXLII. gratia ab hostibus liberatrix: à filiis Koræ Ps:XLV. 10. gratia desponsatrix. Ps:XLII.9. Ps.XLIV. 27. gratia hospitatrix: ab Asapho Collegâ, Ps.LXXIV. gratia Ecclesie conservatrix: Ps.LXXIIX. ab Hemane, itidem Masico, collegâ, ut & cive Ethanis, Psalmo præcedente LXXIIX. gratia Messie, infernales pro nobis horrores sustinentis, salvatrix de prædicatur. Adde his Salomonis ipsius canticum excellentissimum, omnes illas gratias decantans: *Esaia Patruelis Christi canticum, de Ejus vineâ c.V. ut & c. XXVII. 2. seqq. & de fonte Salutis vivifico c. XII. nec non de civitate DEI inexpugnabili c. XXVI. de Misericordia DEI, quam prolixè celebrat Ecclesia Israëlitica, missionis Christi causâ, cælos dirumpi exoptans, c. LXIII. LXIV. & suum rorate cæli subinde concinens, c. XLV. 8. Adde & ab Hoseâ descriptum carmen Messie resurgentis triumphale c. XII. 14. nec non κελύσματα Zachariana, ad excipiendum Messiam, filie Zion acclamata c. II. 10. seqv. c. IX. seqv. quæ gemina sunt Ethanis Σηλατς hymno informatorio: quem deniq; ut uno verbo complectar omnia, S. Petro teste Act: X. 43. illustrant omnes V. T. Prophetæ, quorum vaticinia sigillatim hic adducere, nimis prolixum foret.*

Cantica Ecclesie Christiane collactea, præter *Mariale*, ac *Zacharianum*, ut & *Simeonicum Luc. I. ac. II.* descripta, ipsiusq; Christi hymnum *Cygnæum*, ex *Actis*, & *Epistolis Apostolicis*, è *Canticorum libris Græcis, Latinis, Germanicis*, ut alia idiomata taceamus, satis nota sunt: è quibus εὐχολόγιον solum *Jacobi Goar* hic adducere juvat, quod ad *Ecclesie orientalis officium laudum*, in quo hæc legitur p. 54 *δοξολογία: Vinculis inferni ruptis, exurgens è tumulo, mortis sententiam solvisti Domine, & omnes inimici laqueis eripuisti, conspicuusq; iterum Apostolis factus, ad*

pra-

predicandum eos misisti, & per eosdem pacem mundi dedisti, solus
 valde MISERICORS! Hodie mundo salus facta est, è tumulo exur-
 genti, & auctori vitæ cantemus: morte etenim ipsa morte divi-
 ctoriam nobis contulit, & MAGNAM MISERICORDIAM. In
 sancta & magna parasceve p. 922. ita habetur: Qui propter nos
 homines, & propter nostram salutem, tremendam passionem, & vivi-
 ficam crucem, & spontaneam sepulturam carne suscepisti. In offi-
 cio Pentecostes p. 762. Sacerdos orationem hanc secreto recitat:
 Domine DEUS noster, qui, cælis in terram inflexis, ad salutem gene-
 ris humani descendisti; respice servos tuos, & hereditatem tuam,
 tibi enim tremendo pariter ac clementi Judici, capita, cervicesq; sus-
 as, non expectatâ ab hominibus ope, sed tuam misericordiam & sa-
 lutem præstolati servi tui submiserunt, conserva illos omni tempore,
 presenti vespere, & insequenti nocte, ab omni hoste, ab omni advero
 sarj machinamento, ac cogitationibus vanis, & à pravis concupiscen-
 tiis. Deinde exclamat: Sit potestas regni tui benedicta, & lau-
 data Patris, & Filii, & Sancti Spiritus: nunc & semper, & in se-
 cula seculorum, Amen.

Quibus gratiis in æternum celebrandis Ecclesia trium-
 phans occupetur, sine requie, sine defatigatione, testis locuples
 est Apocalypsis Johannea, nova Electorum, & S. Angelorum
 Cantica passim commemorans, c. IV. 8. seqv. c. V. 8. seqv. VII.
 10. 12. c. XIV. 2. c. XV. 3. 4. c. XIX. 20. c. XIX. 7. de quibus quia
 ἀρρητὰ ῥήματα. nobis in hac fragilitate sunt, tacere præstat,
 quàm lingua infantili eadem attingere.

Hasce gratias divinus ille Musicus, à SpirituS. agitated, ple-
 rasq; complexus est, easq; cum veritate conjunxit, celebraturus,
 & annunciaturus יהוה ייחודי & אלוהינו. ò Domine! Quæ à S.
 Esaiâ ita copulantur מִסְדֵּי יְהוָה יִסְדֵּי מִסְדֵּי Misericordie David
 fideles, vel stabiles. LXX. Interpp. reddidere peculiari nomine
 ἰσθία Δαυὶδ, τὰ πιστά, quod divinâ autoritate comprobavit
 S. Apostolus Act. XIII. 34. De eodem enim fœdere, vel testa-
 mento, quod Eihan celebravit, Esaiâs loquitur. Ille ομολογίας,
 vel professionis suæ summam ita exhibet: Quoniam dixi: In se-
 culum MISERICORDIA edificabitur: in cælis VERITATEM TU-
 AM

AM firmabis: Quænam autem illa VERITAS? Excidi fœdus Ele-
cto meo, sive Davidi, si verba sequentia, κατ' ἐπιζήνησιw ad-
dicta censeamus, sive Christo, si fundamentum fœderis seorsim de-
cantari credamus, qui ἐξοικνω̄ς Electus dicitur Es: XLII. 1. iura-
vi David servo meo; de quo Ps. CXXXII. 11. Juravit Dominus Da-
vid veritatem, & non frustrabitur eam. S. Elaias hæc ita repe-
tit: Excidam vobis pactum æternum: Misericordias Domini fideles:
LXX interpp. habent: Διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον ἃ
ὄσια Δαβὶδ τὰ πρῶτα. S. Apostolus: ὅτι δώσει ὑμῖν τὰ ὄσια
Δαβὶδ τὰ πρῶτα. Cur verò MISERICORDIÆ illæ dicuntur ἃ
ὄσια, sanctailla? Fit illud, tum ratione fontis & originis, quia è
SS. Trinitate, quæ ipsa sanctitas est, scaturiunt, tum ratione medi,
meriti, & acquisitionis, quia per Christum, Sanctum Sanctorum,
gratiã & veritate plenum, in nos redundant, qui de plenitudine
ejus accipimus gratiam pro gratia Joh: I. 18. tum ratione finis, quia
sanctitatem nostram intendunt, ejusq; causa existunt. SAN-
CTA autem DAVIDI fidelia vocantur, tum ratione promittentis,
quia ille fidelis est, seipsum abnegare non potest, I. Cor: I. 9. 2. Tim:
II. 13. tum ratione Davidis, fide promissa amplectentis; uti τὰ
πρῶτα Δαβὶδ dici possunt Davidi credita, cum non simpliciter
ita vocentur, nec solum ratione divina veritatis, sed cum ἔξοικνω̄ς
ad Davidem, ratione acceptationis, à Davide per fidem factæ, cui
peculiarioraculo patefacta] sunt.

Gratia autem Davidi promissæ, & ab eo per fidem susce-
 ptæ, à Cantore θεοπνευστω̄ in hoc divino carmine celebratæ, mul-
 tivarie sunt, ad fœdus cum ipso sancitum pertinentes: quæ ad
 triplex Christi officium referri possunt. Nam ad Prophecticum
 spectant, quæ de semine in seculum stabiliendo, & edificando de
 generatione in generationem throno ejus prædicuntur: Quia se-
 men spirituale est, quod in seculum stabilitur, ac per Verbum &
 Sacramenta gignitur; ejusq; gratia ædificatur thronus ille, ut
 nempe istud per sceptrum verbi regatur, & conservetur ad bea-
 tam æternitatem Ps. CX. 2. Ps. XLV. 7 siquidem de throno Christi
 explicetur ab Archangelo: Dabit illi Dominus Deus sedem David,
 Patris ejus Luc. I. 32. Quâ ratione explicat ipse Ethan & seminis
 Spiritua-

spiritualis, preparationem ac stabilimentum in seculum, & a dist-
 cationem throni mystici, vers: 6. quod nempe mirabile Domini
 (misericordiam verè admirandam, illudq; ὁμολογημένως μέ-
 γα Ἰησ̄ εὐσεβείας μυσῦριον confessuri sunt cæli, h. e. cælites, San-
 cti nempe Angeli,) & veritatem Ejus Ecclesia sanctorum: com-
 ponens admiranda DEi opera, cum illo omnem captum Ἰησ̄ κ̄λυ-
 σῆς Φύσεως longissimè excedente Brachij, Manus, & Dextera
 Domini opere, in quo maximè apparet, quomodo iustitia, & ju-
 dicium, habitaculum, vel basis solij Domini sit, & quomodo
 misericordia, & veritas precedant facies ejus.

Ad officium Sacerdotale Christi pertinent, quæ de Justitiâ
 DEi v. 17. 18. dicuntur, in quâ beatitudo fidelium consistit. In
 justitiâ tuâ exaltabunt se, quoniam gloria fortitudinis Tu eorum.
 Hæc enim justitia DEi, quâ se exaltant fideles, hæc gloriatio for-
 titudinis, in Christi pro nobis passi exaltatione fundatur, qui est
 cornu illud salutis, quod erectum est in domo Davidis. Luc: 1. 67.
 ἐν Ἰη̄ εὐδοκία σ̄ς ὑψωθῆσεται ἰὸ κέρας ἡμῶν, reddunt LXX.
 Seniores. Quæ est εὐδοκία illa, de qua Apostolus Col: 1. 19. ὅτι
 ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν ἰὸ πληρωμα κατοικῆσαι (hæc enim
 κατοίκησις fundamentum est Ἰησ̄ ὑπερυψώσεως) καὶ δι' αὐ-
 τῆ ἀποκαταλλάξαι ἰὰ πᾶντα εἰς αὐτὸν (quæ ἀποκαταλλα-
 γή finis est Ἰησ̄ κατοικῆσεως παντὸς ἰδ̄ πληρώματος Ἰησ̄ Θεοῦ-
 Ἰος in Christo, conf. Col: 11. 9.) ideò κέρας σωτηρίας ἡμῶν à
 Zacharia vocatur. Sanctes Pagninus reddidit in plurali, cor-
 nua nostra, atq; ita R. David Kimchi exposuit πληθυντικῶς, cor-
 nua nostra exaltabis, id est, reges nostros, vel quodlibet cornuum
 erit elevatum. Sed nec novum est, plurale pro singulari adhibe-
 ri, ὁμοχῆς causâ, & tribuuntur aliàs Messix cornua septem, ob
 infinitam ejus potentiam, uti septem oculi, ob infinitam sapien-
 tiam, Ap: V. 6 omnesq; Interpp, alii explicant CORNU in sin-
 gulari, exaltasti Cornu nostrum. Nec immeritò Pagninum hic
 emendavit, è veritate Ebræâ, Arias. Montanus, cum Collegis, red-
 dens CORNU NOSTRUM; ita Vulgata, ita LXX. Interpp. nec
 aliter alii. De Christo etiam μοναδικῶς versus 24. sonat hoc
 modo: Et in nomine meo, inquit DEus, exaltabitur CORNU ejus.

B

Non

Non alienus ab hâc interpretatione fuit B. Schnepfius: q. d. Tu DE-
us Pater nos gloriosos facis, per cornu nostrum Christum, quem Tu
exaltasti: Qui ad verba præcedentia: Et in justitiâ tuâ, hæc an-
notat: Nam qui habent justitiâ imputativam, sunt gloriosi. B.
Lutherus confert cum hoc nostro loco, & Es: LV. 5. novissima
verba Davidis, in tr. de iisdem, T. II. X. Alt: p. 338. docens, Do-
minatorem justum. Sam: XXIII. 3. non Davidem, sed Christum
esse: Es ist ein ander Mann / dieser Herrscher in Gerech-
tigkeit und Gottesfurcht / David hat durch sein Regiment
nicht einen einzigen Menschen gerecht und gottfürchtig ge-
macht / sich selbst auch nicht / Mose mit seinem Gesetz auch
nicht / Rom: 3. Sondern sind alle gerecht und gottfürchtig
gemacht durch diesen Herrscher Messia / und Hört Israel /
JESUM CHRISUM / wie auch Zacharia 9: sagt /
Freue Dich du Tochter Zion &c. Quæ prolixius
exequivitur B. Bugenhagius è verbis præcedentibus: Justitia &
judicium preparatio sunt, vel habitaculum solii tui, id est, Justitia
fidei, & judicium timoris DEI sunt, in quibus habitat tuum regnum,
qui regnas in illis solis, qui in te confidunt, & se suâq; omnia judican-
tes, sive condemnantes te timent, quæ dona ex nobis habere non pos-
sumus. Nam sequitur: Misericordia, quæ gratis donatur remissio
peccatorum, & veritas promissionis tuæ creditæ, quæ te debitorem
nobis fecit, præcedent faciem tuam, id est, preparabunt corda, ut
inhabites, Johann: 14. Si quis diligit me, sermonem meum serva-
bit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem
apud eum faciemus. Demum apertissimis quoq; verbis hæc gratia
sic describitur, Beatus populus, qui fert jubilationem, id est, qui
non multa audit, legit, dicit solum de eo, quod dictum est: In nomine
tuo exaltabunt; sed qui hanc exultationem, & jubilationem scit, id
est, intelligit, & corde sentit. Non est enim choralium nostrorum
boatus, sed ineffabilis lætitia, de remissione peccatorum, & certâ
beatitudine per Christum, de quâ Paulus: Pax, inquit, DEI, quæ exu-
perat omnem mentem, exultet in cordibus vestris. Hæc est fides,
quæ

quæ sanctificat nomen DEi cum gaudio, sive per vitam, sive per mor-
tem, id quod sequitur. Domine, inquit, qui sciunt jubilationem,
ambulabunt in lumine, non natura, sive rationis, aut intellectus sui,
ut diximus Ps. 31. sed in lumine vultus tui, quo tu arridens, ut Pater,
adflatu Spiritus tui eos inflammas ac doces. Hinc illa mentis exul-
tatio, de quâ iterum additur: In nomine tuo, non suo, aut me-
ritorum suorum exultabunt, ut gloria salutis eorum sit tua solius,
et quoque solum nomini adscribatur, id quod & hic additur: Et in justi-
tiâ tuâ exaltabuntur, dum hypocritæ in suâ dejiciuntur. Et quid a-
liud sibi volunt, quæ in textu sequuntur, quæ cum Felice sic red-
dit B. Antistes: Quia A DOMINO scutum nostrum, & à SAN-
CTO Israel Rex noster, additâ hâc ἐξηνήσει. Messias à DEo, qui
sanctificat Israëlem, datur nobis scutum, redemptio, justificatio,
sanctificatio &c. Certè, ait postea, ista non est legis, sed Evange-
gelica prædicatio, de quâ se dicturum promisit, Misericordias Do-
mini cantabo in æternum: Sic enim Messias ipse testatus erat A-
brahama Patri credentium Gen: XV. 3. Ego CLYPEUS tuus, &
merces tua multa valdè: quod verbum fide suscepit, adeoque cre-
didit in Dominum, & imputatum illud ei est in justiciam: unde
Apostolus veram justificationis nostræ rationem, quæ fit per im-
putationem justitiæ Christi, deducit, Rom: IV. 3. sequ. Clypeus il-
le noster à Domino est, quia Christus factus est nobis à Domino ju-
sticia, 1. Cor: I. 30. quod quomodo factum sit, in principe illo o-
raculo, quod hîc respicit Ethan 2. Sam: VII. 14. mentione plaga-
rum, & pœnarum, quas Filius DEi pro nobis sustinere debeat,
(si conferatur Davidica Ps: XXII. XL. LXIX. & Esaiana c. LIII.
tradita explicatio,) docetur. Idem ille clypeus noster adver-
sus iram DEi, maledictionem legis, reatum peccati, potesta-
tem Satanæ, & vim mortis, Rex etiam noster est, à Sancto Israë-
lis nobis constitutus, super sancto monte Zion. Ps: II. 6.

Quapropter celebratur idem quoque ab Ethane prolixè, ob
officium Regium: ejusque constitutio v. 20. & sequ. deducitur è
promissione Davidi per Nathanem factâ 2. Sam: VII. Tunc locu-
tus es in visione beneficiario tuo. Quis est, qui hoc locutus est? I-
dem utique, de quo dixerat: In beneplacito tuo exaltabis cornu no-

*strum: & quem introduxit porro ita v. 27. loquentem: I-
pse invocabit me, Pater meus. Quæ uti primæ Deitatis personæ
indubiè conveniunt, ita ob orationis συνέχειαν omnia illa ei-
dem vindicanda esse liquet. De quo autem dicta ista: Posui auxi-
lium super potentem, exaltavi electum de populo. Inveni David
servum meum, in oleo sanctitatis meæ unxi eum? Hæc, & quæ se-
quuntur omnia non pauci de Christo explicant, eumq; Davidem
servum Domini hoc loco dici, è collatione Ezech: XXXIV. au-
tumant. Quibus sanè haud difficulter calculum adjicerem, ni-
si luce clarior S. Apostoli obstaret ἐκθεσις, Act: XIII. 22. 23.
Suscitavit ipsis David in Regem, cui testimonium perhibens, dixit:
εὐρον Δαβὶδ τὸν Ἰσραήλ ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, ὃς ποιή-
σει πάντα τὰ θελήματά μου. τὸν οὗτος ὁ θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος,
κατ' ἐπαγγελίαν ἤγειρε Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν. Illum ergo
Davidem Deum invenisse Hieropsaltes, interprete Apostolo, dicit,
qui Filius Jesse erat, & ex cujus semine JESUS Servator excitatus
est. Quæ verba cogunt, ut cum aliis Interpp. nostris Heros
istum exaltatum de populo, de Christo interpretemur: illa tamen,
INVENI DAVID SERVUM MEUM, non de Christo, sed de
Davide accipienda, in Bibliis Illustratis docuerimus: ne Apo-
stolo contradicatur. Quo in loco (Tom: I. p. 1070. col: 1. l.
23. 24.) omissis verbis servus David, quæ nescio unde irrepsere,
nostra sic legenda: Heros ille, quem Deus promiserat 2. Sam: 7.
populi sospitatorem, electus è populo, neutiquam intelligi potest de
Salomone, quo de Psalmum interpretatur Grotius, nec de Davi-
de, &c. Si quis tamen ob verborum coherentiam etiam illa,
de Heroe exaltato, electo è populo, nec non de uncto oleo sanctitatis
Domini, vers: 20. 21. 22. 23. 24. 25. de Davide filio Jesse intelli-
genda censeat, nulla vis carmini Erhanis, aut oraculo Domini
fiet, modò quæ v. 25. sequuntur de Christo, non autem de Da-
vide intelligenda esse, agnoscat. Ab hoc loco enim (vers: 25.) &
ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dextram ejus, (ut
Bellarminus ipse profitetur) conveniunt ferè omnes, Augustinus,
Hieronymus, Theodoretus, & multi recentiorum, non posse exponi
Psalmum, NISI DE CHRISTO. Quibus facile omnes è nostris
suffragantur. Sed*

Sed quomodo v.26. ingeritur textui CHRISTUS, si adv.25
 usq; de Davide accipiendum oraculum? *Omnia enim verba ita
 contexta sunt, & continuata, ut ad Eundem (eandem personam)
 pertineant, fatente Bellarmino. Benè res habet; Non opus est,
 ut nos ingeramus Messiam. Adduxit eundem ipse Musicus divi-
 nus, idq; ipso 25. commate, ac ne id ambiguum esset, appellatio-
 ne, quâ vers:18. Eundem insigniverat, iterum Eum designat. Et ve-
 ritas mea ac gratia mea cum ipso. (Davide, Isaacide) erit, & in nomi-
 ne meo extolletur CORNU ipsius, Davidis scilicet. Quodnam enim
 illud Davidis CORNU, quod vers: 19. Israëliitarum nomine lo-
 quens CORNU NOSTRUM vocavit Ethan, eodemq; prædicato
 denotavit, תְּרוּם כַּרְנֵינוּ Et in beneplacito tuo EXALTA-
 TUR CORNU NOSTRUM, quemadmodum hoc 25. versu: Es
 in nomine meo (inquit Dominus) תְּרוּם כַּרְנֵינוּ EXALTA-
 BITUR CORNU E[US]; quia UNA FIDES Davidis erat & alio-
 rum fidelium Israëliitarum 2. Cor:IV. 13. Eph:IV. 5. Act: XV. 9. 11. Ex-
 plicat id S. ZACHARIAS in εὐλογία suâ Luc: I. 69. 70. καὶ ἠγείρεθ
 κέρασ σωτηρίας ἡμῶν ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τῆ παιδὸς αὐτῆ καθὼς ἐλά-
 λησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτῆ.
 Quibus verbis de Christo CORNU SALUTIS in domo Davidis
 erectum exponitur, & Prophetis Ethan noster accensetur luculen-
 ter. Quid, quod David ipse in canticis graduum, Ps. cxxxii. 17.
 non aliter de Christo loquatur, quod, procul ambiguo, simul re-
 spexit Zacharias. Ibi germinare faciam, inquit, CORNU DA-
 VID, atq; ita coherent rectissimè, fluuntq; purissimè omnia in
 textu nostro: In nomine meo exaltabitur CORNU Davidis (MES-
 SIAS, qui idem Israëliitarum CORNU, exinanitus quidem in sta-
 tu κενώσεως καὶ ταπεινώσεως, exaltandus autem in statu ὑπερ-
 ψώσεως) Et ponam in mari manum EJUS CORNU DAVIDICI,
 vel Messia, de quo agunt sequentia, ut explicent, tūm, cur in ipso,
 tanquam cornu salutis, confidere possint ac debeant, tūm verò,
 quænam illa sit ὑπερψώσις & quod ejus fundamentum, æterna
 nempe generatio, & ἡότης Filii DEI) & in fluminibus dexteram ejus
 ΠΑΤΗΡ ΙΗΣΟΥΣ invocabit me, Pater meus IHS &c.*

Sed

Sed hæc persequi, vetat cartæ angustia, & tractata jam sunt
ista loco laudato. Has autem MISERICORDIAS, in Christo ex-
hibitas, hæc imprimis DOMINICA celebrat Ecclesia, quod eâ-
dem sistat PASTOREM illum bonum, è *Job. X.* qui et ratione of-
ficij *Prophetici Pastor* est, atq; *Episcopus animarum nostrarum*, *1.*
Petr: II. 25. cujus vocem in Evangelio sonantem, MISERICOR-
DIAM, & VERITATEM Domini annunciantem, audiunt oves
ejus, & ratione *officij Sacerdotalis* animam suam ponit pro ovibus,
& ratione *Regii officij* regit oves, ac custodit eas, nec ullam sinit
è manu suâ, omnipotenti illâ, & nusquam non, *Erbane* teste, præ-
sente, eripi, deniq; vitam illis dat æternam. Has MISERICOR-
DIAS DOMINI celebrare in præsentem maximè decet, ubi vi
æterni pacti huic Israeli DOMINI, gratiam Ecclesiæ Nostræ Sa-
xonice, per *integrum seculum*, inde ab auspiciatissimis consilijs D.
AUGUSTI, Saxonice Electoris verè AUGUSTI, *gloriosa recorda-*
tione, sanctissimæ CONCORDIÆ Opus, Anno nempe *superioris*
seculi quinto & septuagesimo, die XXI. Novembris, agitari cœpit,
exhib tam decantandi, ac memoriam tanti Operis, tantæ MISE-
RICORDIÆ sanctè recolendi, PANEGYRIS Academica Colle-
gii Nostri Theologici ansam & causam nobis sufficit oppidò
egregiam, quâ gradus in Theologiâ supremus tribuendus erit
Viris Plurimum Reverendis, Amplissimis, & Præclarissimis, eo or-
dine, quo gradum Licentiati consequuti sunt Ipsi,

DN. L. ERNESTO BACKIO, GRIMMENSIS
MISNICO, Ecclesiæ Magdeburgensis ad D. Johann: Pastori,
& Vener: Ministerij Seniori.

DN. L. PAULO-PHILIPPO ROEBERO,
WITTEBERGENSI SAXONI, PAULIF. Ecclesiæ Frei-
bergensis Pastori, totiusq; Dioceseos ejusdem Superin-
tendenti.

DN. L. CHRISTIANO SEELMANNO,
COBURGO-FRANCO, ante hac Leutschoviensi in Hun-
garia, jam in Großen Salze Pastori Primario.

DN. L.

DN. L. JOHANNI SCHVVARZIO,

WITTEBERGENSI, Illustris antehac Leutschoviensis,
jam AUGUSTI Leucopetrae Gymnasij Directori, & Pro-
fessori Publico.

Fiet hoc cum DEO, die XX. Aprilis, horâ IX antemeridianâ
in templo Academico, postquam signum majori campanâ in urbe
datum, & eductio solemnissimâ ex aedibus meis facta fuerit, idque
in nomine SS. & individuae Trinitatis, auspicijs Serenissimi & Po-
tentissimi Principis ac Domini, Domini JOHANNIS GE-
ORGII SECUNDI, Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium,
Sacri Romani Imperii Archimarschalli, & Electoris, Landgravi
Thuringiae, Marchionis Misniae, ut & superioris, & inferioris
Lusatiae, Burgravi Magdeburgensis, Comitis Marchiae, & Ra-
vensbergi, Domini in Ravenstein &c. Domini & Nutrii
nostri Clementissimi. RECTORE Academiae Magnifico, Viro
Maximè Reverendo, Amplissimo, atq; Excellentissimo DN. JO-
HANNE ANDREA QVENSTEDT, SS. Theol. D. ac Prof. Publ. Ce-
leberrimo, Alumnorum Electoralium Inspectore Primario: ME, D. A-
BRAHAM CALOVIO, Facultatis Theologicae DECANO, ac
PRO-CANCELLARIO: Promotore ac Brabeuta, Viro admodum
Reverendo, Amplissimo, atq; Excellentissimo Dn. JOHANNE
DEUTSCHMANNO, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Famigerabili, Alu-
mnorum Electoralium Epboro meritissimo.

Adquam festivam Panegyricum, Rectorem Academiae Magnifi-
cum, Patronos, & Proceres Academiae, Senatum Oppidanum, Verbi
Ministros, Facultatis Philosophicae Adjunctos, caeterosq; Cives Acade-
micos, meo, & totius Collegij Theologici nomine, reverenter,
officiosè, fraternè, & amicè invitatos volo, reciproca pietatis, ob-
servantiae, & humanitatis officia, gratitudinis ergò, recipiens,
DEUMq; animitùs invocans, ut MISERICORDIAM suam por-
rò Nobis, in hisce conclamatis temporibus, exhibeat, Serenissi-
mum Electorem, & Pro-Electorem, totamq; Serenissimam Electora-
lem, & Ducalem Saxoniam Familiam, cum Aulâ nostrâ illustrissimâ
glo.

gratiossimè coronet , Pacem Inclutæ Germaniæ clementissimè
restituat, nostrisq; oris conservet benignissimè, Afflictis fidei no-
stræ sociis succurrat potentissimè, Almam hanc Academiam in
veritate Evangelicâ, & perenni vigore foveat, tueatur, exaltet
gratiossimè, nosq; omnes faciat vasa MISERICORDIÆ suæ, ut
annunciemus veritatem Ejus de generatione in generationem, & MI-
SERICORDIAS Ejus cantemus in æternum. P. P. Sub Sigillo Facul-
tatis Theologicæ, Dominicâ MISERICORDIAS DOMINI,
Anno Gratiaë novissimæ clō Ipc LXXV.



05 A 536

ULB Halle
004 208 315

3




VOM

04







I. N. J.
PROGRAMMA INVITATORIUM,
AD
PROMOTIONEM DOCTORALEM,
D. XX. APRILIS, ANNO CHRISTI
M DC LXXV.
CELEBRANDAM.
DECANI FACULTATIS
THEOLOGICÆ, IN ELECTO-
RALI SAXONICA, QUÆ WITTE-
BERGÆ EST, UNIVERSITATE,
ABRAHAM CALOVII
SS. THEOL. D. P. P. PRIMARII, PA-
STORIS, CONSISTORII ADSESSORIS, ET CIRCU-
LI ELECTORALIS SUPERINTENDENTIS
GENERALIS.

WITTEBERGÆ
Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.

(1675)